C. Iulii Cæsaris commentariorvm de bello gallico libri viii.



BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ DE FRANCE.

LVTETIAE

Apud Vascosanum, uia Iacobæa ad insigne Fontis.

M. D. L.

Cicero in lib. de Cl. Oratoribus ad Brutum, ita inquit,

De Cæsare ita iudico, illum omnium ferè oratorum latine loqui elegantissimè. & paulò pòst. Atque etiam Commentarios quosdam scripsit rerum suarum, ualde quidem inquam probãdos. nudi enim sunt, recti, & uenusti, omni ornatu orationis tanquam ueste detracta. sed dum uoluit alios habere parata unde sumerent qui uellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui uolunt illa calamistris inurere: sanos quidem homines à scribendo deterruit. nihil enim est in historia, pura & illustri breuitate dulcius. & ad Attic. Sed hoc τέρας horribili uigilantia, celeritate, diligentia est plenum.

Quintilianus lib. X. de eodem,

C. uerò Cæsar si foro tantùm uacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur: tanta in eo uis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodẽ animo dixisse, quo bellauit, appareat. exornat tamen hæc omnia mira sermonis, cuius proprie studiosus fuit, elegantia.

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO GALLICO LIBER I.

ALLIA est omnis diuisa in partes treis, quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiã qui ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellãtur. Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, à Belgis Matrona & Sequana diuidit. Horum omnium fortissimi sunt Belgæ, propterea quòd à cultu atque humanitate prouinciæ longissime absunt, miniméque ad eos mercatores sæpe commeant, atque ea quæ ad effœminandos animos pertinent, important: proximiq; sunt Germanis qui trans Rhenum incolunt, quibúscum continenter bellum gerunt. Qua de causa Heluetij quoque reliquos Gallos uirtute præcedunt, quòd fere quotidianis prælijs cum Germanis contendunt, cum aut suis finibus eos prohibẽt, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt. Eorum una pars, quã Gallos obtinere dictum est, initium capit à flumine Rhodano, cõtineturque Garumna flumine, Oceano, finibus Belgarũ: attingit etiam à Sequanis & Heluetijs flumẽ Rhenum, uergit ad Septentriones. Belgæ ab extremis Galliæ finibus oriuntur: pertinent ad inferiorẽ partem fluminis Rheni: spectant in Septentriones, & orientem solem. Aquitania à Garũna flumine ad Pyrenæos montes, & eam partẽ Oceani quæ ad Hispaniam pertinet, spectat, inter occasum solis, & Septentriones. Apud Heluetios longe nobilissimus fuit & ditissimus Orgetorix. Is M. Messala & M. Pisone consu-

libus regni capiditate inductus, cõiurationem nobilitatis fecit: & ciuitati persuasit ut de finibus suis cum omnibus copijs exirent. perfacile esse, cùm uirtute omnibus præstarent, totius Galliæ imperio potiri. Id hoc facilius eis persuasit, q undiq; loci natura tuti Heluetij cõtinerentur: una ex parte flumine Rheno latissimo atque altissimo, qui agrum Heluetium à Germanis diuidit: altera ex parte monte Iura altissimo, qui est inter Sequanos & Heluetios: tertia, lacu Lemano & flumine Rhodano, qui prouinciam nostram ab Heluetijs diuidit. His rebus fiebat, ut & minus late uagarẽtur, & minus facilè finitimis bellum inferre possent. Qua de causa homines bellãdi cupidi, magno dolore afficiebãtur. Pro multitudine autem hominum, et pro gloria belli atq; fortitudinis, angustos se fines habere arbitrabantur, qui in lõgitudinem millia passuum CCXL, in latitudinem CLXXX, patebant. His rebus adducti, & authoritate Orgetorigis permoti, constituerunt ea quæ ad proficiscendum pertinerent, comparare. Iumentorum & carrorum quammaximũ numerũ coemere, sementes quammaximas facere, ut in itinere copia frumenti suppeteret: cum proximis ciuitatibus pacem & amicitiam confirmare. Ad eas res conficiendas biẽnium sibi satis esse duxerunt: in tertium annum profectionem lege confirmant. Ad eas res conficiendas Orgetorix deligitur. Is sibi legationem ad ciuitates suscepit. In eo itinere persuadet Castico Catamãtaledis filio, Sequano, (cuius pater regnum in Sequanis multos annos obtinuerat, & à senatu populóq; Romano amicus appellatus erat) ut regnum in ciuitate sua occuparet, quod pater antè habuerat: itemque Dumnorigi Heduo fratri Diuitiaci, (qui eo tempore principatũ in ciui-

tate

tate ſua obtinebat, ac maxime plebi acceptus erat) ut idem conaretur, perſuadet: eiq́ue filiam ſuam in matrimoniũ dat. Perfacile factu eſſe illis probat conata perficere, propterea q̃ ipſe ſuæ ciuitatis imperium obtenturus eſſet: non eſſe dubiũ, quin totius Galliæ plurimum Heluetij poſſent. Se ſuis copijs ſuóque exercitu illis regna conciliaturum cõfirmat. Hac oratione adducti, inter ſe fidem & iuſurandum dãt: & regno occupato per tres potẽtiſſimos ac firmiſſimos populos, totius Galliæ ſeſe potiri poſſe ſperant. Ea res ut eſt Heluetijs per indicium enuntiata, moribus ſuis Orgetorigem ex uinculis cauſam dicere coegerunt. Damnatum pœnam ſequi oportebat, ut igni cremaretur. Die conſtituta cauſæ dictionis, Orgetorix ad iudicium omnẽ ſuam familiam ad hominũ millia decem undique coegit: & omnes clientes, obæratóſque ſuos, quorum magnum numerum habebat, eodem cõduxit: per eos, ne cauſam diceret, ſe eripuit. Cum ciuitas ob eã rem incitata, armis ius ſuum exequi conaretur, multitudinémque hominũ ex agris magiſtratus cogerent, Orgetorix mortuus eſt: neque abeſt ſuſpicio, ut Heluetij arbitrantur, quin ipſe ſibi mortem conſciuerit. Poſt eius mortem nihilominus Heluetij id quod conſtituerant, facere conantur, ut è finibus ſuis exeãt. Vbi iã ſe ad eam rem paratos eſſe arbitrati ſunt, oppida ſua omnia numero ad duodecim, uicos ad quadringentos, reliqua priuata ædificia incendunt: frumentũ omne, præter quã quod ſecum portaturi erant, cõburunt: ut domũ reditionis ſpe ſublata, paratiores ad omnia pericula ſubeũda eſſent. Trium mẽſium molita cibaria ſibi quenque domo efferre iubent. Perſuadent Rauracis, & Tulingis, & Latobrigis finitimis, uti eodem uſi cõſilio, oppidis ſuis uicíſq; exu-

stis, unà cum his proficiscantur: Boiósque, qui trans Rhenum incoluerant, & in agrum Noricum transierant, Noreiámque oppugnarãt, receptos ad se socios sibi adsciscunt. Erãt omnino itinera duo, quibus itineribus domo exire possent: Vnum per Sequanos, angustum & difficile, inter montem Iuram & flumen Rhodanũ, uix quà singuli carri ducerentur: mons autem altissimus impendebat, ut facilè perpauci prohibere possent. Alterum per prouinciam nostram, multo facilius atque expeditius, propterea q̃ inter fines Heluetiorum, & Allobrogũ, qui nuper P.R. pacati erant, Rhodanus fluit, ísque nonnullis locis uado transitur. Extremũ oppidum Allobrogum proximumque Heluetiorũ finibus, Geneua est: ex eo oppido põs ad Heluetios pertinet. Allobrogibus sese uel persuasuros, quòd nõdũ bono animo in populum Romanum uiderentur, existimabant: uel ui coacturos, ut per suos fines eos ire paterentur. Omnibus rebus ad profectionem comparatis, diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani omnes conueniant. Is dies erat ad V. Calendas Aprilis, L. Pisone, Aulo Gabinio consulibus. Cæsari cum id nuntiatũ esset, eos per prouinciam nostram iter facere conari, maturat ab Vrbe proficisci, & quàm maximis potest itineribus in Galliã ulteriorẽ contendit, & ad Geneuã peruenit. prouinciæ toti quàm maximũ potest, militum numerum imperat. Erat omnino in Gallia ulteriore legio una. Pontem qui erat ad Geneuã, iubet rescindi. Vbi de eius aduentu Heluetij certiores facti sunt, legatos ad eum mittunt nobilissimos ciuitatis: cuius legationis Numeius & Verodoctius principem locum obtinebant: qui dicerẽt, sibi esse in animo sine ullo maleficio iter per prouinciam facere, propterea quòd nullum aliud iter haberent:

rent: rogarentque ut eius uolũtate id sibi facere liceat. Cæsar, quod memoria tenebat Lucium Cassium consulem occisum, exercitumque eius ab Heluetijs pulsum, & sub iugum missum, concedendũ non putabat: neq; homines inimico animo, data facultate per prouinciam itineris faciundi, temperaturos ab iniuria & maleficio existimabat. tamẽ ut spatiũ intercedere posset, dum milites quos imperauerat, conuenirent, legatis respondit, diem se ad deliberãdum sumpturum: si quid uellent, ad Idus Aprilis reuerterentur. Interea ea legione quam secum habebat, militibúsque qui ex prouincia conuenerant, à lacu Lemano, qui in flumen Rhodanum influit, ad montem Iuram, qui fines Sequanorum ab Heluetijs diuidit, millia passuũ decem & nouem murum in altitudinem pedum sedecim, fossamque perducit. Eo opere perfecto, præsidia disponit, castella communit, quò facilius, si se inuito transire conarentur, prohibere posset. Vbi ea dies quam cõstituerat cum legatis, uenit, & legati ad eum reuerterunt: negat se more & exemplo populi Romani posse iter ulli per prouinciam dare: etsi uim facere conentur, prohibiturum ostẽdit. Heluetij ea spe deiecti, nauibus iunctis, ratibúsq; compluribus factis, alijs uadis Rhodani, quà minima altitudo fluminis erat, nõnunquã interdiu, sæpius noctu, si perrũpere possent conati: operis munitione, & militũ concursu, & telis repulsi, hoc conatu destiterũt. Relinquebatur una per Sequanos uia, qua Sequanis inuitis propter angustias ire non poterant. Iis cum sua sponte persuadere non possent, legatos ad Dumnorigẽ Heduum mittũt, ut eo deprecatore à Sequanis hoc impetrarent. Dumnorix gratia & largitione apud Sequanos plurimũ poterat, & Heluetijs erat amicus, q ex

ea ciuitate Orgetorigis filiam in matrimoniũ duxerat: & cupiditate regni adductus, nouis rebus studebat: & quamplurimas ciuitates suo beneficio habere obstrictas uolebat. Itaque rem suscipit, & à Sequanis impetrat ut per fines suos Heluetios ire patiantur, obsidésque uti inter sese dent, perficit: Sequani, ne itinere Heluetios prohibeãt: Heluetij, ut sine maleficio & iniuria trãseant. Cæsari renũtiatur Heluetijs esse in animo per agrum Sequanorum & Heduorum iter in Santonum fines facere, qui nõ longe à Tolosatium finibus absunt, quæ ciuitas est in prouincia. Id si fieret, intelligebat magno cum prouinciæ periculo futurum, ut homines bellicosos Populi Romani inimicos, locis patẽtibus maximéque frumentarijs finitimos haberet. Ob eas causas ei munitioni quam fecerat, Titum Labienum legatum præfecit: ipse in Italiam magnis itineribus contendit, duásque ibi legiones cõscribit: & treis quæ circum Aquileiam hyemabãt, ex hybernis educit: & quà proximum iter in ulteriorem Galliam per Alpeis erat, cum his quinque legionibus ire cõtendit. Ibi Cẽtrones, & Garocelli, & Caturiges locis superioribus occupatis, itinere exercitum prohibere conantur. compluribus his prælijs pulsis, ab Ocelo, quod est citerioris prouinciæ extremum, in fines Vocontiorum ulterioris prouinciæ, die septimo peruenit: inde in Allobrogũ fines, ab Allobrogibus in Sebusianos exercitum ducit. hi sunt extra prouinciam trãs Rhodanum primi. Heluetij iam per angustias & fines Sequanorum suas copias traduxerant, & in Heduorum fines peruenerant, eorumque agros populabantur. Hedui cum se suáque ab his defendere nõ possent, legatos ad Cæsarẽ mittunt rogatum auxilium: ita se omni tempore de Populo Romano

mano meritos esse, ut penè in conspectu exercitus nostri, agri uastari, liberi eorum in seruitutẽ abduci, oppida expugnari nõ debuerint. Eodem tempore quo Hedui, Ambarri quoque necessarij & consanguinei Heduorum, Cæsarem certiorem faciunt, sese depopulatis agris non facilè ab oppidis uim hostium prohibere. Item Allobroges, qui trans Rhodanum uicos possessionésque habebant, fuga se ad Cæsarem recipiunt, & demonstrant sibi præter agri solũ nihil esse reliqui. Quibus rebus adductus Cæsar, non expectandum sibi statuit, dum omnibus fortunis sociorũ consumptis, in Santones Heluetij peruenirent. Flumen est Arar, quod per fines Heduorũ & Sequanorum in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat, iudicari non possit. Id Heluetij ratibus ac lintribus iunctis transibant. Vbi per exploratores Cæsar certior factus est, treis iam copiarum parteis Heluetios id flumen traduxisse, quartam uerò partẽ citra flumen Ararim reliquam esse: de tertia uigilia cũ legionibus tribus è castris profectus, ad eam partẽ peruenit, quæ nondũ flumen transierat. Eos impeditos & inopinãteis aggressus, magnam partem eorum concîdit: reliqui sese fugæ mandarunt, atque in proximas siluas abdiderunt. Is pagus appellabatur Tigurinus. nã omnis ciuitas Heluetiá in quatuor pagos diuisa est. Hic pagus unus quum domo exisset patrum nostrorum memoria, L. Cassium consulem interfecerat, & eius exercitum sub iugum miserat. Ita siue casu, siue consilio deorum immortalium, quæ pars ciuitatis Heluetiæ insignem calamitatẽ Populo Romano intulerat, ea princeps pœnas persoluit. Qua in re Cæsar non solùm publicas, sed etiam priuatas iniurias ultus est, quòd eius soceri L. Pisonis

auum L. Pisonem legatum, Tigurini eodẽ prælio, quo Cassium, interfecerant. Hoc prælio facto, reliquas copias Heluetiorum ut consequi posset, pontem in Arare faciendum curat: atque ita exercitum traducit. Heluetij repẽtino eius aduentu commoti, cum id quod ipsi diebus XX. ægerrime confecerant, ut flumen transirent, Cæsarem uno die fecisse intelligerent, legatos ad eum mittunt: cuius legationis Diuico princeps fuit, qui bello Cassiano dux Heluetiorum fuerat. Is ita cum Cæsare egit: si pacem populus Romanus cũ Heluetijs faceret, in eã partem ituros atque ibi futuros Heluetios, ubi eos Cæsar constituisset, atque esse uoluisset. Sin bello persequi perseueraret, reminisceretur & ueteris incõmodi populi Romani, & pristinæ uirtutis Heluetiorum. Quòd improuiso unũ pagum adortus esset, cum hi qui flumẽ transissent, suis auxilium ferre non possent, ne ob eam rem aut suæ magnopere uirtuti tribueret, aut ipsos despiceret. Se ita à patribus maioribúsque suis didicisse, ut magis uirtute quàm dolo contenderent, aut insidijs niterentur. Quare ne committeret, ut is locus ubi cõstitissent, ex calamitate populi Romani, & internecione exercitus, nomẽ caperet, aut memoriam proderet. His Cæsar ita respondit, Eo sibi minus dubitationis dari, quòd eas res quas legati Heluetij commemorassent, memoria teneret: atque eo grauius ferre, quo minus merito populi Romani accidissent: qui si alicuius iniuriæ sibi cõscius fuisset, non fuisse difficile cauere: sed eò deceptum, quòd neq; commissum à se intelligeret quare timeret, neque sine causa timendum putaret. Quòd si ueteris cõtumeliæ obliuisci uellet: num etiam recẽtium iniuriarum, quòd eo inuito iter per prouinciam per uim tentassent: quòd Heduos, quòd Ambarros, quòd

ros, quòd Allobroges uexassent, memoriam deponere posset? Quòd sua uictoria tam insolenter gloriarentur, quodque se tandiu impune tulisse iniurias admirarẽtur, eodem pertine-
» re. Cõsuesse enim deos immortales, quò grauius homines ex
» commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum ulcisci
» uelint, his secundiores interdum res, & diuturniorem impu
» nitatem concedere. Cum ea ita sint: tamẽ si obsides ab his sibi dentur, uti ea quæ polliceantur, facturos intelligat, & si Heduis de iniurijs quas ipsis sociisque eorum intulerint, item si Allobrogibus satisfaciant, sese cum his pacem esse facturum. Diuico respondit, ita Heluetios à maioribus suis institutos esse, uti obsides accipere, nõ dare consueuerint: eius rei populum Romanum esse testem. Hoc responso dato, discessit. Postero die castra ex eo loco mouent. Idem Cæsar facit: equitatumq; omnem ad numerum quatuor milliũ, quem ex omni prouincia & Heduis atq; eorum socijs coactum habebat, præmittit: qui uideãt quas in partes hostes iter faciant. Qui cupidius nouissimum agmẽ insecuti, alieno loco cum equitatu Heluetiorũ prælium committũt, & pauci de nostris cadunt. Quo prælio sublati Heluetij, quòd quingentis equitibus tantã multitudinem equitum propulerant, audacius subsistere, nonnunquam ex nouissimo agmine prælio nostros lacessere cœperũt. Cæsar suos à prælio continebat, ac satis habebat in præsentia hostẽ rapinis populationibúsq; prohibere. Ita dies circiter XV. iter fecerũt, uti inter nouissimũ hostiũ agmen & nostrũ primum, non amplius quinis aut senis millibus passuum intereesset. Interim quotidie Cæsar Heduos frumentũ quod essent publice polliciti, flagitare. Nam propter frigora, quòd Gallia sub Septentrionibus, ut antè dictũ

est, posita est, non modo frumenta in agris matura non erãt, sed ne pabuli quidẽ satis magna copia suppetebat. Eo autem frumẽto quod flumine Arare nauibus subuexerat, propterea minus uti poterat, quòd iter ab Arare Heluetij auerterant, à quibus discedere nolebat. Diem ex die ducere Hedui, conferri, comportari, adesse, dicere. Vbi se diutius duci intellexit Cæsar, & diem instare, quo die frumentum militibus metiri oporteret; conuocatis eorum principibus, quorum magnam copiã in castris habebat, in his Diuitiaco & Lisco, qui summo magistratui præerãt (quem Vergobretum appellãt Hedui qui creatur annuus, & uitæ necisque in suos habet potestatem) grauiter eos accusat, quòd cum neque emi, neq; ex agris sumi posset, tam necessario tempore, tam propinquis hostibus, ab his non subleuetur: præsertim cum magna ex parte, eorum precibus adductus bellum susceperit. multo etiam grauius, quòd sit destitutus, queritur. Tum demũ Liscus oratione Cæsaris adductus, quod antea tacuerat, proponit esse nonnullos, quorum authoritas apud plebem plurimum ualeat, qui priuatim plus possint, quàm ipsi magistratus. hos seditiosa atque improba oratione multitudinem deterrere, ne frumentum conferant, quod præstare debeant. Si iã principatũ Galliæ obtinere non possent, Gallorum quàm Romanorum imperia præferre; neque dubitare debeant, quin si Heluetios superauerint Romani, unà cũ reliqua Gallia Heduis libertatẽ sint erepturi: ab ijsdem nostra consilia, quæq; in castris gerantur, hostibus enuntiari. Hos à se coerceri non posse: quinetiam quòd necessariam rem coactus Cæsari enũtiarit, intelligere sese quanto id cum periculo fecerit: & ob eam causam, quandiu potuerit, tacuisse. Cæsar hac oratione

Lisci

Liſci Dumnorigem Diuitiaci fratrem deſignari ſentiebat: ſed quòd pluribus præſentibus eas res iactari nolebat, celeriter conciliũ dimittit: Liſcum retinet, quærit ex ſolo ea quæ in conuentu dixerat: dicit liberius, atque audacius. Eadem ſecretò ab alijs quærit: reperit eſſe uera, ipſum eſſe Dumnorigem ſumma audacia, magna apud plebem propter liberalitatem gratia: cupidum nouarum rerum, complureis annos portoria reliquáque omnia Heduorum uectigalia paruo precio redempta habere, propterea quòd illo licente contrà liceri audeat nemo. his rebus & ſuam rem familiarem auxiſſe, & facultates ad largiendum magnas comparaſſe: magnum numerum equitatus ſuo ſumptu ſemper alere, & circum ſe habere: neq; ſolùm domi, ſed etiam apud finitimas ciuitates largiter poſſe: atque huius potentiæ cauſa matrem in Biturigibus homini illic nobiliſſimo ac potentiſſimo collocaſſe: ipſum ex Heluetijs uxorem habere: ſororem ex matre, & propinquas ſuas nuptum in alias ciuitates collocaſſe: fauere & cupere Heluetijs, propter eam affinitatem: odiſſe etiam ſuo nomine Cæſarem & Romanos, quòd eorũ aduẽtu potentia eius imminuta, & Diuitiacus frater in antiquum locum gratiæ atque honoris ſit reſtitutus. Siquid accidat Romanis, ſummam in ſpem regni obtinendi per Heluetios uenire: imperio populi Rom. non modò de regno, ſed etiam de ea quam habeat gratia deſperare. Reperiebat etiam Cæſar inquirendo, quòd prælium equeſtre aduerſum paucis antè diebus eſſet factũ, initiũ eius fugæ à Dumnorige atq; eius equitibus factum: (nam equitatui quem auxilio Cæſari Hedui miſerãt, Dumnorix præerat) eorũ fuga reliquum eſſe equitatum perterritum. Quibus rebus cognitis, cũ ad has ſuſpi-

ciones certissimæ res accederẽt, quòd per fines Sequanorum Heluetios traduxisset, quòd obsides inter eos dãdos curasset, quòd ea omnia non modo iniussu suo & ciuitatis, sed etiam inscientibus ipsis fecisset, quòd à magistratu Heduorum accusaretur, satis esse causæ arbitrabatur, quare in eũ aut ipse animaduerteret, aut ciuitatem animaduertere iuberet. His omnibus rebus unum repugnabat, q̃ Diuitiaci fratris summum in populum Romanum studium, summam in se uoluntatem, egregiam fidem, iustitiam, temperãtiam cognouerat. nam ne eius supplicio Diuitiaci animũ offenderet, uerebatur. Itaque prius quàm quicquam conaretur, Diuitiacũ ad se uocari iubet, & quotidianis interpretibus remotis, per C. Valerium Troacillum principem Galliæ prouinciæ, familiarem suum, cui summam rerum omnium fidem habebat, cum eo colloquitur: simul commonefacit quæ ipso præsente in cõcilio Gallorũ de Dumnorige sint dicta, & ostẽdit quæ separatim quisque de eo apud se dixerit. petit atque hortatur, ut sine eius offensione animi, uel ipse de eo causa cognita statuat, uel ciuitatem statuere iubeat. Diuitiacus multis cũ lachrymis Cæsarẽ complexus, obsecrare cœpit, nequid grauius in fratrem statueret: scire se illa esse uera, nec quenquam ex eo plus quàm se doloris capere, propterea quòd cum ipse gratia plurimum domi, atque in reliqua Gallia, ille minimum propter adolescentiam posset, per se creuisset: quibus opibus ac neruis non solùm ad minuendã gratiam, sed penè ad perniciem suã uteretur: sese tamen & amore fraterno, & existimatione uulgi cõmoueri. quòd siquid ei à Cæsare grauius accidisset, cum ipse eum locum amicitiæ apud eum teneret, neminem existimaturum non sua uoluntate factum: qua ex re futurum,

re futurum, uti totius Galliæ animi à se auerterentur. Hæc cum pluribus uerbis flens à Cæsare peteret, Cæsar eius dextram prehendit: consolatus rogat finem orandi faciat. tanti eius apud se gratiam esse ostendit, uti & Reip. iniuriam, & suum dolorem eius uoluntati ac precibus cõdonet. Dumnorigem ad se uocat, fratrem adhibet. quæ in eo reprehendat, ostendit: quæ ipse intelligat, quæ ciuitas queratur, proponit: monet ut in reliquum tempus omnes suspiciones uitet, præterita se Diuitiaco fratri condonare dicit. Dumnorigi custodes ponit, ut quæ agat, quibúscum loquatur, scire possit. Eodem die ab exploratoribus certior factus hostes sub monte consedisse millia passuũ ab ipsius castris octo: qualis esset natura montis, & qualis in circuitu ascensus, qui cognoscerent misit. Renuntiatum est facilem esse. De tertia uigilia T. Labienum legatum propere cum duabus legionibus, & ijsdem ducibus qui iter cognouerant, summum iugum montis ascẽdere iubet, quid sui consilij sit, ostendit. Ipse de quarta uigilia eodem itinere quo hostes ierant, ad eos contendit, equitatumque omnem ante se mittit. P. Considius, qui rei militaris peritissimus habebatur, quíq; in exercitu L. Syllæ, & postea in M. Crassi fuerat, cum exploratoribus præmittitur. Prima luce, cum summus mons à T. Labieno teneretur, ipse ab hostium castris nõ longius mille & quingentis passibus abesset, neq; (ut postea ex captiuis cõperit) aut ipsius aduẽtus, aut Labieni cognitus esset, Considius equo admisso ad eũ accurrit: dicit montem quem à Labieno occupari uoluerit, ab hostibus teneri, id se à Gallicis armis atq; insignibus cognouisse. Cæsar suas copias in proximum collem subducit, aciem instruit. Labienus, ut erat ei præceptũ à Cæsare, ne prælium

committeret, nisi ipsius copiæ prope hostiũ castra uisæ essent, ut undique uno tempore in hostes impetus fieret, monte occupato nostros expectabat, prælioque abstinebat. Multo denique die per exploratores Cæsar cognouit & montem à suis teneri, & Heluetios castra mouisse, & Considium timore perterritum, quod nõ uidisset, pro uiso sibi renũtiasse. Eo die quo consuêrat interuallo hostes sequitur, & millia passuum tria ab eorum castris castra ponit. Postridie eius diei, quòd omnino biduum supererat cum exercitui frumentum metiri oporteret, & quòd à Bibracte oppido Heduorum longe maximo ac copiosissimo, nõ amplius millibus passuum XVIII aberat, rei frumentariæ prospiciendum existimauit, & iter ab Heluetijs auertit, ac Bibracte ire cõtendit. Ea res per fugitiuos L. Aemilij decurionis equitũ Gallorũ, hostibus nuntiatur. Heluetij, seu quòd timore perterritos Romanos discedere à se existimarent, eo magis, quòd pridie superioribus locis occupatis prælium non commisissent, siue eo quòd re frumentaria intercludi posse confiderent, commutato consilio, atque itinere conuerso, nostros à nouissimo agmine insequi ac lacessere cœperũt. Postquam id animaduertit, copias suas Cæsar in proximum collem subducit, equitatúmque qui sustineret hostium impetum, misit. Ipse interim in colle medio triplicem aciem instruxit legionum quatuor ueteranorum, ita uti supra se in summo iugo duas legiones, quas in Gallia citeriore proximè conscripserat, & omnia auxilia collocarit, ac totum montem hominibus complerit. Interea sarcinas in unum locum cõferri, & eum ab his qui in superiore acie constiterant, muniri iussit. Heluetij cum omnibus suis carris secuti, impedimenta in unum locum contulerunt: ipsi cõfertissima

tissima acie reiecto nostro equitatu, phalange facta, sub primam nostram aciem successerunt. Cæsar primùm suo, deinde omnium è cõspectu remotis equis, ut æquato omniũ periculo spem fugæ tolleret, cohortatus suos, prælium commisit. Milites è loco superiore pilis missis facilè hostium phalãgem perfregerunt: ea disiecta, gladijs districtis in eos impetum fecerunt. Gallis magno ad pugnã erat impedimẽto, quòd pluribus eorum scutis uno ictu pilorum transfixis, & colligatis, cum ferrum se inflexisset, neque euellere, neque, sinistra impedita, satis commode pugnare poterant: multi ut diu iacta-to brachio, præoptarent scutũ manu emittere, & nudo corpore pugnare. tandem uulneribus defessi, & pedem referre, & quòd mons suberat circiter mille passuum, eo se recipere cœperunt. Capto monte, & succedentibus nostris, Boij & Tulingi, qui hominum millibus circiter XV agmen hostium claudebant, & nouissimis præsidio erant, ex itinere nostros latere aperto aggressi circunuenere. Id conspicati Heluetij, qui in montem sese receperant, rursus instare, & præliũ redintegrare cœperunt. Romani cõuersa signa bipartitò intulerunt: prima ac secunda acies ut uictis ac summotis resisteret, tertia ut uenientes sustineret. ita ancipiti prælio diu atq; acriter pugnatum est. diutius cum sustinere nostrorum impetum non possent, alteri se (ut cœperant) in montem receperunt, alteri ad impedimenta & carros suos se contulerunt. Nam hoc toto prælio, cum ab hora septima ad uesperum pugnatum sit, auersum hostem uidere nemo potuit. Ad multam noctem etiam ad impedimenta pugnatum est, propterea quòd pro uallo carros obiecerant, & è loco superiore in nostros uenientes tela conijciebant, & nonnulli inter

carros rotásque, mazaras ac tragulas subijciebant, nostrósque uulnerabant. Diu cum esset pugnatum, impedimẽtis castrísque nostri potiti sunt. ibi Orgetorigis filia atque unus è filijs captus est. Ex eo prælio circiter hominũ millia CXXX superfuerunt, eaque tota nocte continenter ierunt, nullam partẽ noctis itinere intermisso. in fines Lingonũ die quarto uenerunt, cum & propter uulnera militum, & propter sepulturam occisorum nostri triduum morati, eos sequi nõ potuissent. Cæsar ad Lingones literas nuntiósque misit, ne eos frumento, néue alia re iuuarent: qui si iuuissent, se eodẽ loco illos, quo Heluetios, habiturum. Ipse triduo intermisso, cũ omnibus copijs eos sequi cœpit. Heluetij omnium rerum inopia adducti, legatos de deditione ad eum miserũt. Qui cum eum in itinere conuenissent, séque ad pedes proiecissent, suppliciterque locuti, flentes pacem petissent, atque eos in eo loco quo tum essent, suum aduẽtum expectare iussisset, paruerunt. Eò postquam Cæsar peruenit, obsides, arma, seruos qui ad eos perfugissent, poposcit. Dum ea conquiruntur, & conferuntur, nocte intermissa, circiter hominum millia sex eius pagi qui Verbigenus appellatur, siue timore perterriti, ne armis traditis supplicio afficerentur: siue spe salutis inducti, qꝓ in tanta multitudine dediticiorum, suam fugam aut occultari, aut omnino ignorari posse existimarẽt, prima nocte ex castris Heluetiorum egressi, ad Rhenum finésque Germanorũ contenderunt. Quod ubi Cæsar resciuit: quorũ per fines ierant, his uti conquirerent, & reducerẽt, si sibi purgati esse uellent, imperauit. Reductos, in hostium numero habuit: reliquos omnes, obsidibus, armis, perfugis traditis, in deditionẽ accepit. Heluetios, Tulingos, Latobrigos, in fines suos unde erant

de erant profecti, reuerti iuſsit: & quòd omnibus frugibus amiſsis, domi nihil erat quo famem tolerarent, Allobrogibus imperauit ut his frumenti copiam facerent: ipſos, oppida uicóſque quos incenderant, reſtituere iuſsit. Id ea maxime ratione fecit, quòd noluit eum locum unde Heluetij diſceſſerãt, uacare: ne propter bonitatem agrorum, Germani qui trans Rhenum incolunt, è ſuis finibus in Heluetiorum fines tranſirent, & finitimi Galliæ prouinciæ Allobrogibúſque eſſent. Boios petentibus Heduis, quòd egregia uirtute erant cogniti, ut in finibus ſuis collocarent, conceſsit: quibus illi agros dederunt, eóſque poſtea in parem iuris libertatíſque conditionem atque ipſi erant, receperunt. In caſtris Heluetiorũ tabulæ repertæ ſunt literis Græcis confectæ, & ad Cæſarem perlatæ: quibus in tabulis nominatim ratio cõfecta erat, qui numerus domo exiſſet eorũ qui arma ferre poſſent, & item ſeparatim pueri, ſenes, mulieréſq;: quarum omnium rerum ſumma erat, capitum Heluetiorum millia CCLXIII, Tulingorũ millia XXXVI, Latobrigorũ XIIII, Rauracorum XXIII, Boiorum XXXII. Ex his, qui arma ferre poſſent, ad millia XCII. Summa omnium fuerunt ad millia CCC LXVIII. Eorum qui domũ redierunt cenſu habito, ut Cæſar imperauerat, repertus eſt numerus milliũ C & X. Bello Heluetiorum confecto, totius ferè Galliæ principes ciuitatum ad Cæſarem gratulatum conuenerunt: intelligere ſeſe, tametſi pro ueteribus Heluetiorum iniuríjs populus Ro. ab his pœnas bello repetiſſet, tamen eam rem non minus ex uſu terræ Galliæ, quàm pop. Romani accidiſſe, propterea quòd eo conſilio florentiſsimis rebus domos ſuas Heluetij reliquiſſent, uti toti Galliæ bellum inferrent, imperióque potiren-

tur, locumque domicilio ex magna copia deligerẽt quem ex omni Gallia opportunissimum ac fructuosissimum iudicassent, reliquásque ciuitates stipendiarias haberent. Petierunt uti sibi concilium totius Galliæ in diem certam indicere, idq; Cæsaris uoluntate facere liceret. sese habere quasdam res, quas è communi consensu ab eo petere uellent. Ea re permissa, diem concilio constituerunt: & iureiurando nequis enũtiaret, nisi quibus communi consilio mãdatum esset, inter se sanxerunt. Eo cõcilio dimisso, ijdem principes ciuitatum qui antè fuerant, ad Cæsarem reuerterunt, petieruntque uti sibi secretò & in occulto de sua omniumque salute cum eo agere liceret. Ea re impetrata, sese omnes flẽtes Cæsaris ad pedes proiecerunt: Non minus se id cõtendere & laborare, ne ea quæ dixissent, enuntiarẽtur, quàm uti ea quæ uellẽt, impetrarent: propterea quòd si enuntiatum esset, summum in cruciatum se uenturos uiderẽt. Locutus est pro his Diuitiacus Heduus, Galliæ totius factiones esse duas. Harũ alterius principatum tenere Heduos, alterius Aruernos. Hi cum tãtopere de potentatu inter se multos annos contenderent, factum esse uti ab Aruernis Sequanisq; Germani mercede accerserentur. Horũ primo circiter millia XV Rhenum trãsisse. posteaquã agros & cultum & copias Gallorũ homines feri ac barbari adamassent, traductos plures: nunc esse in Gallia ad CC & XX millium numerum. Cũ his Heduos eorumque clientes semel atque iterum armis contendisse, magnam calamitatem pulsos accepisse: omnem nobilitatem, omnem senatum, omnem equitatum amisisse. Quibus prælijs calamitatibúsque fractos, qui & sua uirtute, & populi Ro. hospitio atque amicitia plurimum antè in Gallia potuissẽt,

coactos

coactos esse Sequanis obsides dare nobilissimos ciuitatis, & iureiurando ciuitatem obstringere, sese neque obsides repetituros, neque auxilium à populo Rom. imploraturos: neque recusaturos quo minus perpetuò sub illorum ditione atque imperio essent. Vnum se esse ex omni ciuitate Heduorũ, qui adduci non potuerit ut iuraret, aut liberos suos obsides daret. Ob eam rem se ex ciuitate profugisse, & Romam ad Senatum uenisse auxilium postulatum, quòd solus neque iureiurando neque obsidibus teneretur. Sed peius uictoribus Sequanis, quàm Heduis uictis accidisse: propterea quòd Ariouistus Rex Germanorum in eorum finibus consedisset, tertiámq; partem agri Sequani, qui esset optimus totius Galliæ, occupauisset, & nunc de altera parte tertia Sequanos decedere iuberet, propterea quòd paucis mensibus antè, Harudum millia hominum uigintiquatuor ad eum uenissent, quibus locus ac sedes pararentur: futurũ esse paucis annis, uti omnes è Galliæ finibus pellerẽtur, atque omnes Germani Rhenum transirent. Neque enim cõferendum esse Gallicum cum Germanorum agro, neque hanc consuetudinem uictus cum illa comparandam. Ariouistum autem, ut semel Gallorum copias prælio uicerit, quod prælium factum sit Amagetobriæ, superbe & crudeliter imperare, obsides nobilissimi cuiusq; liberos poscere, & in eos omnia exempla cruciatus edere, siqua res non ad nutum aut ad uoluntatem eius facta sit: hominem esse barbarum, iracundum, temerarium, non posse eius imperia diutius sustineri. Nisi quid in Cæsare populóque Rom. sit auxilij, omnibus Gallis idem esse faciendum, quod Heluetij fecerint, ut domo emigrent, aliud domicilium, alias sedes remotas à Germanis petant, fortunámq;,

quæcunque accidat, experiantur. Hæc si enuntiata Arioui-
sto sint, non dubitare, quin de omnibus obsidibus qui apud
eum sint, grauissimum supplicium sumat. Cæsarẽ uel autho-
ritate sua atque exercitus, uel recenti uictoria, uel nomine
populi Ro. deterrere posse, ne maior multitudo Germanorũ
Rhenum traducatur: Galliamque omnem ab Arioui sti iniu-
ria posse defendere. Hac oratione à Diuitiaco habita, omnes
qui aderant, magno fletu auxilium à Cæsare petere cœpe-
runt. Animaduertit Cæsar unos ex omnibus Sequanos nihil
earum rerum facere, quas cæteri facerent: sed tristes capite
demisso terram intueri. Eius rei quæ causa esset, miratus, ex
ipsis quæsiuit. Nihil Sequani respondere, sed in eadem tristi-
tia taciti permanere. Cum ab his sæpius quæreret, neq; ul-
lã omnino uocẽ exprimere posset: idem Diuitiacus Heduus
respondit, hoc esse miseriorem & grauiorem fortunam Se-
quanorum, quàm reliquorũ, quòd soli ne in occulto quidem
queri, nec auxilium implorare auderent: absentísque Ario-
uisti crudelitatem, uelut si corã adesset, horrerent, propterea
quòd reliquis tãtùm fugæ facultas daretur: Sequanis uerò,
qui intra fines suos Ariouistũ recepissent, quorumq; oppida
omnia in potestate eius essent, omnes cruciatus essent perfe-
rendi. His rebus cognitis Cæsar Gallorum animos uerbis
confirmauit, pollicitusque est sibi eam rem curæ futurã. ma-
gnam se habere spẽ, & beneficio suo & authoritate addu-
ctum Ariouistũ, finem iniurijs facturum. Hac oratione ha-
bita concilium dimisit. Et secundum ea multæ res eũ horta-
bantur, quare sibi eã rem cogitandam & suscipiendam pu-
taret: in primis, quòd Heduos fratres consanguineósq; sæpe-
numero ab Senatu appellatos, in seruitute atque in ditione

uidebat

uidebat Germanorũ teneri, eorumq; obſides eſſe apud Arioui-ſtum ac Sequanos intelligebat: quod in tanto imperio populi Ro. turpiſſimum ſibi & Reip. eſſe arbitrabatur. Paulatim autẽ Germanos cõſueſcere Rhenum trãſire, & in Galliam magnam eorũ multitudinẽ uenire, populo Ro. periculoſum uidebat: neq; ſibi homines feros ac barbaros obtẽperaturos exiſtimabat, quin cũ omnẽ Galliã occupauiſſent, ut antè Cimbri Teutoniq; feciſſent, in prouinciam exirẽt, atq; inde in Italiam contenderent: præſertim cum Sequanos à prouincia noſtra Rhodanus diuideret. Quibus rebus q̃ maturrime occurrendũ putabat. Ipſe autẽ Arioui-ſtus tãtos ſibi ſpiritus, tantã arrogantiam ſumpſerat, ut ferendus non uideretur. Quamobrẽ placuit ei ut ad Arioui-ſtũ legatos mitteret, qui ab eo poſtularent, ut aliquem locũ medium utriuſque colloquio deligeret. uelle ſeſe de Rep. & ſummis utriuſque rebus cum eo agere. Ei legationi Arioui-ſtus reſpondit: ſiquid ipſi à Cæſare opus eſſet, ſeſe ad eum uenturum fuiſſe: ſiquid ille ſe uelit, illum ad ſe uenire oportere. Præterea ſe neque ſine exercitu in eas partes Galliæ uenire audere, quas Cæſar poſſideret: neque exercitum ſine magno commeatu atque emolumento in unum locum contrahere poſſe. Sibi autem mirum uideri, quid in ſua Gallia, quam bello uiciſſet, aut Cæſari, aut omnino populo Romano negocij eſſet. His reſponſis ad Cæſarem relatis, iterum ad eum Cæſar legatos cũ his mandatis mittit: quoniam tanto ſuo populique Rom. beneficio affectus, cũ in conſulatu ſuo Rex atque amicus à Senatu appellatus eſſet, hanc ſibi populoque Rom. gratiam referret, ut in colloquium uenire inuitatus grauaretur, neque de communi re dicendum ſibi & cognoſcẽdum putaret, hæc

esse quæ ab eo postularet: Primum, nequam multitudinem hominum amplius trans Rhenum in Galliã traduceret: deinde, obsides quos haberet ab Heduis, redderet: Sequanísque permitteret, ut quos illi haberent, uoluntate eius reddere illis liceret: néue Heduos iniuria lacesseret, néue his sociísque eorum bellum inferret. Si id ita fecisset, sibi populóq; Romano perpetuam gratiam atque amicitiam cum eo futuram: si id nõ impetraret, sese (quoniam M. Messala, M. Pisone cõsulibus Senatus cẽsuisset, uti quicunque Galliam prouinciam obtineret, quod commodo Reip. facere posset, Heduos, cæterósque amicos populi Romani defenderet) Heduorũ iniurias non neglecturum. Ad hæc Ariouistus respondit, ius esse belli, ut qui uicissent, ijs quos uicissent quemadmodum uellẽt, imperarent: item, populum Ro. uictis non ad alterius præscriptum, sed ad suum arbitrium imperare consuesse. Si ipse populo Ro. nõ præscriberet, quemadmodum suo iure uteretur: non oportere sẽ à populo Ro. in suo iure impediri. Heduos sibi, quoniam belli fortunam tentassent, & armis cõgressi ac superati essent, stipendiarios esse factos. Magnam Cæsarem iniuriam facere, qui suo aduẽtu uectigalia sibi deteriora faceret. Heduis obsides sẽ redditurum non esse: neque ijs neque eorum socijs iniuria bellum illaturũ, si in eo manerent quod conuenisset, stipendiumque quotannis penderẽt. Si id non fecissent, longe ab his fraternũ nomen populi Romani abfuturum. Quòd si Cæsar denuntiaret, se Heduorum iniurias non neglecturum, neminem secum sine sua pernicie contendisse: cum uellet, congrederetur. intellecturum quid inuicti Germani, exercitatissimi in armis, qui intrà annos XIIII tectũ non subissent, uirtute possent. Hæc eodem tẽpore Cæsari mãdata

data referebãtur, & legati ab Heduis *& à* Treuiris *ueniebant:* Hedui *queſtum, quòd* Harudes, *qui nuper in* Galliam *tranſportati eſſent, fines eorum popularentur: ſeſe ne obſidibus quidem datis pacem* Arioui*ſti redimere potuiſſe.* Treuiri *autem, pagos centum* Sueuorum *ad ripam* Rheni *conſediſſe, qui* Rhenũ *tranſire conarentur: his præeſſe* Naſuã *&* Cimberium *fratres. Quibus rebus* Cæſar *uehementer commotus, maturãdum ſibi exiſtimauit: ne ſi noua manus* Sueuorum *cum ueteribus copijs* Arioui*ſti ſeſe coniunxiſſet, minus facilè reſiſti poſſet. Itaque re frumentaria quamcelerrimè potuit comparata, magnis itineribus ad* Arioui*ſtum contẽdit. Cum tridui uiam proceſsiſſet, nuntiatum eſt ei* Arioui*ſtum cum ſuis omnibus copijs ad occupandum* Veſontionem, *quod eſt oppidum maximum* Sequanorum, *contendere, triduique uiam à ſuis finibus proceſsiſſe. Id ne accideret, magnopere ſibi præcauendum* Cæſar *exiſtimabat. Namque omnium rerum quæ ad bellum uſui erant, ſumma erat in eo oppido facultas: idque naturâ loci ſic muniebatur, ut magnam ad ducendum bellum daret facultatem, propterea quòd flumẽ* Alduas *dubis, ut circino circunductum, penè totum oppidũ cingit: reliquum ſpatium, quod eſt non amplius pedum ſexcentorum, quà flumen intermittit, mons cõtinet magna altitudine, ita ut radices eius mõtis ex utraque parte ripæ fluminis contingant. Hunc murus circundatus arcem efficit, & cum oppido cõiungit. Huc* Cæſar *magnis diurnis nocturniſque itineribus contendit: occupatóque oppido, ibi præſidium collocat. Dum paucos dies ad* Veſontionem *rei frumentariæ commeatúſque cauſa moratur, ex percontatione noſtrorũ, uocibúſq; Gallorum, ac mercatorum, qui ingenti magnitu-*

dine corporum Germanos incredibili uirtute atque exercitatione in armis esse prædicabãt, & sæpenumero sese cũ his congressos, ne uultum quidem atque aciem oculorum dicebant ferre potuisse: tantus subito timor omnem exercitũ occupauit, ut non mediocriter omniũ mentes animósq; perturbaret. Hic primũ ortus est à Tribunis militum, ac Præfectis, reliquísq; qui ex Vrbe amicitiæ causa Cæsarem sequuti, non magnum in re militari usum habebant: quorum alius alia causa illata, quam sibi ad proficiscendum necessariã esse diceret, petebat, ut eius uolũtate discedere liceret. Nõnulli pudore adducti, ut timoris suspicionẽ uitarent, remanebant. Hi neque uultum fingere, neq; interdũ lachrymas tenere poterant: abditi in tabernaculis, aut suum fatum querebantur, aut cũ familiaribus suis commune periculum miserabãtur. uulgò totis castris testamenta obsignabãtur. Horum uocibus ac timore paulatim etiam hi qui magnũ in castris usum habebant, milites, centurionesque, quíque equitatui præerant, perturbabãtur. Qui se ex his minus timidos existimari uolebãt, non se hostem uereri, sed angustias itineris, & magnitudinem siluarũ quæ inter eos atque Ariouistum intercederẽt, aut rem frumentariam, ut satis commode supportari posset, timere dicebant. Nonnulli etiam Cæsari renuntiabant, cum castra moueri, ac signa ferri iussisset, non fore dicto audientes milites, neque propter timorem signa laturos. Hæc cum animaduertisset Cæsar, conuocato concilio, omniumq; ordinum ad id concilium adhibitis centurionibus, uehementer eos incusauit: Primùm quòd aut quam in partem, aut quo cõsilio ducerentur, sibi quærendum aut cogitandum putarent. Ariouistum se Consule cupidissime populi Ro. amicitiam appetisse:

petisse: cur hũc tam temere quisquam ab officio discessurum iudicaret? Sibi quidem persuaderi, cognitis suis postulatis, atque æquitate conditionis perspecta, eum neq; suam neq; populi Romani gratiam repudiaturum. Quòd si furore atque amentia impulsus, bellum intulisset: quid tandem uererentur? aut cur de sua uirtute, aut de ipsius diligentia desperarent? Factum eius hostis periculum patrum nostrorũ memoria, quum Cimbris & Teutonis à C. Mario pulsis, non minorem laudem exercitus, quàm ipse imperator meritus esse uidebatur. Factũ etiam nuper in Italia seruili tumultu, quos tamen aliquis usus ac disciplina, quam à nobis accepissent, subleuaret. Ex quo iudicari posse, quantũ haberet in se boni constantia: propterea quòd quos aliquandiu inermes sine causa timuissent, hos postea armatos ac uictores superassent: denique hos esse eosdẽ Germanos, quibus cum sæpenumero Heluetij congressi, non solũ in suis sedibus, sed etiam in illorũ finibus plerũq; superassent: qui tamẽ pares esse nostro exercitui non potuerint. Si quos aduersum prælium & fuga Gallorum commoueret, hos, si quærerent, reperiri posse, diuturnitate belli defatigatis Gallis, Ariouistũ cùm multos menses castris se ac paludibus tenuisset, neque sui potestatem fecisset, desperantes iam de pugna & dispersos subitò adortum, magis ratione & consilio quàm uirtute uicisse. Cui rationi contra homines barbaros atque imperitos locus fuisset, hac ne ipsum quidẽ sperare nostros exercitus capi posse. Qui suũ timorem in rei frumentariæ simulationem, angustiásq; itineris conferrẽt, facere arroganter, cum aut de officio imperatoris desperare, aut ei præscribere auderent. Hæc sibi esse curæ: frumẽtum Sequanos, Leucos, Lingones subministrare,

iamque esse in agris frumenta matura. De itinere ipsos breui tempore iudicaturos. Quòd non fore dicto audientes, neque signa laturi dicãtur, nihil se ea re cõmoueri: scire enim, quibuscunq; exercitus dicto audiens non fuerit, aut male re gestà fortunam defuisse, aut aliquo facinore comperto, auaritiam esse conuictam: suam innocentiam, perpetua uitæ felicitate, Heluetiorum bello esse perspectam. Itaque se, quòd in longiorem diem collaturus fuisset, repræsentaturum esse, & proxima nocte de quarta uigilia castra moturum, ut quãprimum intelligere posset, utrùm apud eos pudor atque officiũ, an timor plus ualeret. Quòd si præterea nemo sequatur, tamen se cum sola decima legione iturum, de qua nõ dubitaret; sibique eam prætoriam cohortem futuram. Huic legioni Cæsar & indulserat præcipue, & propter uirtutem confidebat maxime. Hac oratione habita, mirum in modum conuersæ sunt omnium mẽtes, summáque alacritas & cupiditas belli gerendi innata est. Princepsque decima legio per tribunos militum ei gratias egit, quòd de se optimũ iudicium fecisset: seque esse ad bellũ gerendum paratissimam cõfirmauit. Deinde reliquæ legiones per tribunos militum & primorum ordinum centuriones egerũt, uti Cæsari satisfacerent: se neque unquam dubitasse, neque timuisse: neque de summa belli suũ iudicium, sed imperatoris esse existimauisse. Eorum satisfactione accepta, & itinere exquisito per Diuitiacum, quòd ex alijs Gallis maximam ei fidem habebat, ut milium amplius quinquaginta circuitu locis apertis exercitũ duceret, de quarta uigilia, ut dixerat, profectus est. Septimo die, cum iter nõ intermitteret, ab exploratoribus certior factus est, Ariouisti copias à nostris millibus passuũ quatuor

tuor & XX abesse. Cognito Cæsaris aduentu, Arioui∫tus legatos ad eum mittit, quod antea de colloquio postulasset, id per se fieri licere, quoniã propius accessisset, seq; id sine periculo facere posse existimaret. Non respuit conditionem Cæsar: iamque eum ad sanitatem reuerti arbitrabatur, cum id quod antea petenti denegasset, ultro polliceretur: magnámque in spem ueniebat, pro suis tantis populique Rom. in eum beneficijs, cognitis suis postulatis, fore uti pertinacia desisteret. Dies colloquio dictus est ex eo die quintus. Interim cum sæpe ultro citróque legati inter eos mitterentur, Arioui∫tus postulauit nequem peditem ad colloquiũ Cæsar adduceret: uereri se, ne per insidias ab eo circunueniretur. uterque cum equitatu ueniret. alia ratione se non esse uenturum. Cæsar quòd neque colloquium interposita causa tolli uolebat, neq; salutem suam Gallorum equitatui committere audebat: cõmodissimum esse statuit, omnibus equis Gallis equitibus detractis, in eos legionarios milites legionis decimæ, cui quammaxime confidebat, imponere: ut præsidium quamamicissimum, si quid opus facto esset, haberet. Quod cum fieret, non irridicule quidam ex militibus decimæ legionis dixit, plus quàm pollicitus esset, Cæsarẽ facere: pollicitũ esse in cohortis se prætoriæ loco decimã legionem habiturum: nũc ad equum rescribere. Planicies erat magna, & in ea tumulus terreus satis grãdis. Hic locus æquo fere spatio à castris utriusque aberat: eò, ut erat dictum, ad colloquium uenerunt. Legionem Cæsar quam equis deuexerat, passibus ducẽtis ab eo tumulo constituit. Itẽ equites Arioui∫ti pari interuallo constiterunt. Arioui∫tus, ut ex equis colloquerẽtur, & præter se denos ad colloquium adducerent, postulauit. Vbi eò uentum

est, Cæsar initio orationis, sua senatúsq; in eum beneficia cõmemorauit, quòd rex appellatus esset à senatu, quòd amicus, quòd munera amplissima missa: Quam rem & paucis contigisse, & à Romanis pro maximis hominum officijs cõsuesse tribui docebat. Illum quando neque aditum, neq; causam postulandi iustam haberet, beneficio ac liberalitate sua ac senatus ea præmia cõsecutum. Docebat etiam, quàm ueteres, quamque iustæ causæ necessitudinis ipsis cum Heduis intercederent: quæ senatusconsulta, quoties, quamque honorifica in eos facta essent: ut omni tempore totius Galliæ principatum Hedui tenuissent, prius etiam quàm nostram amicitiam appetissent. Populi Ro. hanc esse consuetudinem, ut socios atque amicos non modò sui nihil deperdere, sed gratia, dignitate, honore auctiores uelit esse. Quod uerò ad amicitiam populi Romani attulissent, id his eripi, quis pati posset? Postulauit deinde eadem quæ legatis in mandatis dederat: ne aut Heduis, aut eorum socijs bellum inferret: obsides rederet. si nullam partem Germanorum domũ remittere posset, at nequos amplius Rhenũ transire pateretur. Arioui-stus ad postulata Cæsaris pauca respondit: de suis uirtutibus multa prædicauit: Transisse Rhenum sese non sua sponte, sed rogatum & accersitũ à Gallis. Non sine magna spe magnisque præmijs domum propinquósque reliquisse. sedes habere in Gallia ab ipsis concessas. Obsides ipsorum uoluntate datos. Stipendium capere iure belli, quod uictores uictis imponere consuerint. Non sese Gallis, sed Gallos sibi bellum intulisse. Omnes Galliæ ciuitates ad se oppugnandum uenisse, ac contra se castra habuisse. eas omneis copias, uno ab se prælio fusas ac superatas esse. Si iterum experiri uelint, se iterũ paratum

ratum esse decertare: sin pacem malint, iniquum esse de stipendio recusare, quod sua uoluntate ad id tempus dependerint. Amicitiam populi Romani sibi ornamẽto & præsidio, non detrimẽto esse oportere, idque se ea spe petisse. Si per populum Ro. stipendium remittatur, & deditiĳ subtrahantur, non minus libenter sese recusaturum populi Ro. amicitiam, quàm appetiuerit. Quòd multitudinẽ Germanorum in Galliã traducat, id se sui muniendi, non Galliæ oppugnãdæ causa facere. eius rei testimoniũ esse, quòd nisi rogatus nõ uenerit, & quòd bellũ non intulerit, sed defenderit. Se prius in Galliam uenisse, quàm Populum Ro. Nunquam ante hoc tẽpus exercitũ populi Ro. Galliæ prouinciæ fines ingressum. Quid sibi uellet, cur in suas possessiones ueniret? Prouinciam suam esse hanc Galliam, sicuti illam, nostram. Vt sibi cõcedi non oporteret si in nostros fines impetum faceret, sic item nos esse iniquos, qui in suo iure se interpellaremus. Quòd fratres ex S.C. Heduos appellatos et amicos diceret: nõ se tam barbarũ, neque tam imperitum esse rerum, ut non sciret, neque bello Allobrogũ proximo Heduos Romanis auxilium tulisse, neque ipsos in his contentionibus quas Hedui secum & cum Sequanis habuissent, auxilio Populi Ro. usos esse. Debere se suspicari simulata Cæsarem amicitia, quòd exercitum in Gallia habeat, sui opprimendi causa habere. Qui nisi decedat, atque exercitum deducat ex his regionibus: sese illum non pro amico, sed pro hoste habiturum. Quòd si eum interfecerit, multis sese nobilibus principibúsque populi Romani gratum esse facturum. Id se ab ipsis per eorum nuntios compertum habere: quorum omnium gratiam atque amicitiam eius morte redimere posset. Quòd si discessisset, ac liberam

possessionem Galliæ sibi tradidisset, magno se illum præmio remuneraturum: & quæcunque bella geri uellet, sine ullo eius labore & periculo confecturum. Multa à Cæsare in eam sententiam dicta sunt, quare negotio desistere non posset: & neque suam neque populi Rom. consuetudinem pati, uti optime meritos socios desereret: neque se iudicare Galliã potius esse Ariouisti, quàm populi Romani: bello superatos esse Aruernos & Rutenos à Q. Fabio Maximo: quibus populus Romanus ignouisset, neque in prouinciam redegisset, neq; stipendium imposuisset. Quòd si antiquissimũ quodque tempus spectari oporteret, populi Romani iustissimũ esse in Gallia imperium. Si iudicium Senatus obseruari oporteret, liberam debere esse Galliã, quam bello uictam, suis legibus uti uoluisset. Dũ hæc in colloquio geruntur, Cæsari nuntiatum est equites Ariouisti propius tumulum accedere, & ad nostros adequitare, lapides teláque in nostros cõijcere. Cæsar loquendi finem fecit: seq; ad suos recepit: suísq; imperauit nequod omnino telũ in hostes reijcerent. Nã etsi sine ullo periculo legionis delectæ, cõmissum cum equitatu præliũ fore uidebat: tamen cõmittendum non putabat, ut pulsis hostibus dici posset, eos à se per fidem in colloquio circunuentos.

Posteaquam in uulgus militum relatum est, qua arrogãtia in colloquio Ariouistus usus, omni Gallia Romanis interdixisset, impetumque in nostros eius equites fecissent, eáque res colloquiũ ut diremisset: multo maior alacritas, studiumque pugnãdi maius exercitui iniectum est. Biduo pòst Ariouistus legatos ad Cæsarẽ mittit, uelle se de his rebus quæ inter eos agi cœptæ, neque perfectæ essent, agere cũ eo: uti aut iterũ colloquio diem constitueret: aut si id minus uellet, è suis

legatis

legatis aliquem ad se mitteret. Colloquẽdi causa Cæsari uisa non est, & eô magis quòd pridie eius diei Germani retineri non potuerint, quin tela in nostros conijcerent. Legatũ è suis sese magno cum periculo ad eum missurum, & hominibus feris obiecturum existimabat. Commodissimum uisum est, M. Valeriũ Procillum C. Valerij Caburij filium, summa uirtute & humanitate adolescentem, cuius pater à C. Valerio Flacco ciuitate donatus erat & propter fidem, & propter linguæ Gallicæ scientiã, qua multa iam Ariouistus lõginqua cõsuetudine utebatur, & quòd in eo peccãdi Germanis causa non esset, ad eum mittere: & unà M. Titium, qui hospitio Ariouisti utebatur. His mãdauit, ut quæ diceret Ariouistus, cognoscerent, & ad se referrẽt. Quos cum apud se in castris Ariouistus conspexisset, exercitu suo præsente conclamauit, quid ad se uenirẽt? an speculãdi causa? Conantes dicere prohibuit, & in catenas cõiecit. Eodem die castra promouit, & millibus passuũ sex à Cæsaris castris sub monte consedit. Postridie eius diei præter castra Cæsaris suas copias traduxit, & millibus passuũ duobus ultra eũ castra fecit, eo consilio, ut frumento cõmeatuq; qui ex Sequanis & Heduis supportaretur, Cæsarẽ intercluderet. Ex eo die dies cõtinuos quinque Cæsar pro castris suas copias produxit, & aciem instructam habuit, ut si uellet Ariouistus prælio contendere, ei potestas nõ deesset. Ariouistus his omnibus diebus exercitũ castris continuit, equestri prælio quotidie contendit. Genus hoc erat pugnæ, quo se Germani exercuerant: Equitum millia erant sex, totidem numero pedites uelocissimi, ac fortissimi, quos ex omni copia singuli singulos suæ salutis causa delegerant. Cum his in prælijs uersabantur, ad eos se equites reci-

nostris subsidio misit. Ita prælium restitutum est, atq; omnes hostes terga uerterũt: nec prius fugere destiterunt, q̃ ad flumen Rhenum millia passuum ex eo loco circiter quinq; peruenerunt. Ibi perpauci aut uiribus cõfisi tranare contenderunt, aut lintribus inuẽtis sibi salutem repererũt. In his fuit Ariouistus, qui nauiculã deligatam ad ripã nactus, ea profũgit. Reliquos omneis consecuti equites nostri interfecerũt. Duæ fuerũt Ariouisti uxores, una Sueua natione, quã domo secũ adduxerat: altera Norica, Regis Voccionis soror, quã in Gallia duxerat à fratre missam. Vtraque in ea fuga periit. Duæ filiæ harum, altera occisa, altera capta est. M. Valerius Procillus cum à custodibus in fuga trinis catenis uinctus traheretur, in ipsum Cæsarẽ hostium equitatum persequentem incidit. Quæ quidẽ res Cæsari non minorẽ quàm ipsa uictoria uoluptatem attulit, q̃ hominem honestissimum prouinciæ Galliæ, suum familiarẽ & hospitem, ereptum è manibus hostiũ, sibi restitutũ uidebat, neque eius calamitate de tanta uoluptate & gratulatione quicquã fortuna diminuerat. Is se præsente de se ter sortibus consultũ dicebat, utrũ igni statim necaretur, an in aliud tẽpus reseruaretur. Sortiũ beneficio se esse incolumẽ. Item M. Titius repertus, & ad eum reductus est. Hoc prælio trãs Rhenum nũtiato, Sueui, qui ad ripas Rheni uenerant, domũ reuerti cœperunt: quos Vbij qui proximi Rhenum incolũt, perterritos insecuti, magnum ex his numerũ occiderunt. Cæsar una æstate duobus maximis bellis cõfectis, maturius paulo quàm tempus anni postulabat, in hyberna in Sequanos exercitũ deduxit. Hybernis Labienum præposuit: ipse in citeriorem Galliam ad conuentus agendos profectus est.